



Universitätsbibliothek Paderborn

**Symbola Trinitatis, Id Est Trinitatis diversarum rerum, ex
Veteris ac Novi Testamenti Scripturis, Historijs &
exemplis; nec non congruentioribus rerum naturalium
similitudinibus conscripta ...**

Duplan, Theodore

Ruraemundae, 1663

2. Gloria Patri & Filio & Spiritui S.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12221

SUBDIVISIO SECUNDA

Trinitas diversorum , ex rebus sacris ac
moralibus conscripta ; & tridistichis ad
mysterium Divinæ Trinitatis , vel ali-
um pium sensum , accommodata.

S Y M B O L U M 1.

Crux formatur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.
C Rux Triadis virtute potens dum fronte renidet,
 De carne & mundo , de styge victor ovas.
 Lux tibi duxquè viæ, mentis sincera voluptas ,
 Et Sol, sub Triadis nomine sola Salus.
 Crux in fronte , decus diademate clarius omni ,
 Ad Triadem certo tramite pandit iter.

N. *Initio cuiusque operis se signare apud Christianos moris esse , testatur S. Hier. ad Euseb. Quasi dicatur, hoc siat ad gloriam Dei , in nomine Patris , & Filii , & Spiritus sancti. Quod facere, & consuecere in omni opere decet cultores SSS. Trinitatis.*

S Y M B O L U M 2.

Gloria Patri, & Filio , & Spiritui Sancto.
M OX ubi cœlestis, Trias agmina condidit, aulæ ,
 Cantica Factori prima dedêre suo.
 Primæ vusquè Parenis laudes ab origine fudit ;
 Postulat a totâ posteritate pares.

Glo-

Gloria sit Patri, Genito cum Pneumate semper,

Debetur Triadi laus, decus, hymnus, honos.

N. Authores hujus hymni secundum substantiam sunt Angeli: eumdem enim sensum praesertim, quem Trisagion, & Doxologia Angelorum, Isa. 6. Luc. 2. Secundum formam verborum, plurimi scriptores menicerunt summa cum laude S. Ignatij Mart. ut Authoris ab Angelis edociti, qui in suo choro Antiochiae sic primum instituit, a quo ad alias Ecclesias dimanavit. Fuit autem ille Ignatius Secundum aliquos, felix ille & gratiosus paryulus, de quo Christus Matt. 18: nisi efficiamini sicut parvulus iste. Vide etiam divis. 1. subdiv. 1. symb. 67. & R. P. Jul. Mazar. conc. 163. & Corn. a Lap. in epist. Rom. 34. circa finem.

S Y M B O L U M 3.

Tria debemus Deo

Honorem Patri pro Creatione, Amorem Filio pro Redemptione,
Gratiarum actionem Spiritui S. pro Sanctificatione.

A Nobis meritò summum sibi poscit honorem,
Ex nihilo nobis qui dedit, Esse, Pater.

Et nostro Genitus cordi figatur amore,

Qui pendet, nostri fixus amore, Crucis.

Quas referam grates, quas non tibi debeo laudes;
Pneuma salutiferi fons & origo boni?

S Y M B O L U M 4.

Tria debemus Proximis.

Obedientiam Superioribus, Concordiam Paribus, Beneficentiam Inferioribus.

Propositis pareto: Trias sic imperat, & quis
Ille praest, cuius legibus, iste subest.

Christiadum liget unanimes Concordia mentes,

Jucundum est placidâ, cum pare, pace frui.